

jam supra actum est de beneficio competentie, quod socio convenit, ut non possit conveniri, nisi quantum facere potest in sensu ibi explicato.

636. QUÆRITUR 1. An hæc actio detur etiam durante Societate. *Re.* Exare de hoc legis 65. §. decimum quintum, ubi dicitur. [Nonnunquam necessarium est, & manente Societate agi pro socio, veluti cum societas vectigalium causa coita est: propterque varios Contractus neutri expediat recedere à Societate, nec refertur in medium quod ad alterum pervenerit.] Regulariter tamen loquendo non instituitur hæc actio nisi finita Societate, cujus elegantem rationem tradit Baldus. [Quædam, inquit, sunt actiones, quæ desiderant contractum finiri, sicut est actio pro socio: quia dum socii, non potest esse adversarii: Victoria enim non proficeret victori, sed in Societatem reflecteretur.]

637. QUÆRITUR 2. An hæc actio pro socio detur omnibus illis, qui rem aliquam communem habent. *Re.* Negative, non enim datur illis qui absque contractu societatis in rem communem incidunt, ut habetur lege 31. & 32. ff. h. t. [Ut sit pro socio actio, Societatem intercedere oportet. Nec enim sufficit rem esse communem, nisi societas intercedat. Communiter autem res agi potest etiam citra societatem; ut puta cum non affectione societatis incidimus in communionem, ut evenit in re dubius legata; item si à duobus emptæ res sit: aut si hereditas vel donatio communiter nobis obvenit: aut si à duobus separatim emimus partes eorum, non socii futuri. Nam cum tractatu habito societas coita est, pro socio actio est: cum sine tractatu, in re ipsa & negotio communiter gestum videtur.]

638. QUÆRITUR 3. An præter actionem Pro Socio, detur sociis etiam alia actio. *Re.* Imprimis datur illis actio communi dividundo: nempe ad obtinendam divisionem commodorum & incommodorum, lucrorum & damporum: ita tamen ut una intentata, altera tollatur & perimatur, quatenus ad eundem scopum tendunt, ut habetur l. 38. §. 1. ff. h. t. [Si tecum societas mihi sit, & res ex societate communes, quam impensam in eas fecero, quosve fructus ex his rebus ceperis, vel pro socio, vel communi dividundo me consecuturum, & altera actione alteram tolli Proculus ait.]

Dixi: quatenus ad eundem scopum tendunt. Nam si actioni necdum mota plus inestet, quam illi quæ mota est, illa non tolleretur, & hoc modo intelligenda est lex 45. quæ alioquin priori contraria videtur. [Si actum sit communi dividundo, non tollitur pro socio actio quoniam pro socio & nominum rationem habet, & adjudicationem non admittit. Sed si postea pro socio agatur, hoc minus ex eâ actione conse-

quitur, quam ex prima actione consecutus est.] Itaque hæc duo judicia habent se ut excedentia & excessa. In actione communi dividundo tantum veniunt corporalia, non nomina. In actione pro socio non veniunt adjudicationes, cum per eam non divisio, sed communicatio fiat (inquit glossa) sed tantò minus consequitur per actionem pro socio, quantum plus consecutus est per actionem communi dividundo, ut explicat Vivianus.

639. Tertiò, potest socius contra socium intentare actionem Legis Aquilia, si res communis à socio damnum ex culpa passa est. Quartò etiam actio furti socio adversus socium competit, si manifestum sit, dolo malo rem amovam fuisse, vel animo celandi contraxerat: probatioque actori incumbit, alioquin præsumitur, voluisse re uti tanquam dominus partialis. Quomodo autem hæc actiones cum actione pro socio concurrant, & una alteram tollat vel non tollat, habetur sequentibus Iuribus. lege 45. ff. h. t. [Rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolo vel malo amovit, vel rem communem celandi animo contraxerit. Sed & pro socio actione obstrictus est, nec altera actio alteram tollit. l. 47. Sed si ex causa furtiva condixero, cessabit pro socio actio, nisi plurius meâ interfit. §. 1. Si damnum in re communis socius dedit. Aquilia teneri eum & Celsus, & Iulianus & Pomponius scribunt. l. 48. Sed nihilominus pro socio tenetur. l. 49. Si hoc factio societatem lasit, si v. g. negotiorum servum vulneravit, vel occidit. l. 50. Sed actione pro socio consequitur, ut altera actione contentus esse debeat, quia utraque actio ad rei persecutionem respicit: non ut furti, ad penam duntaxat.]

640. Verùm, hic statim obijci potest, quod etiam actio ex lege Aquilia sit pœnalis: ergo idem dicendum esset de hac actione, quod de actione furti, nempe ita concurrere cum actione Pro Socio, ut una alteram non tollat. Verùm, respondetur cum glossa negando pariter, quia actio furti penam duntaxat persequitur, actio ex lege Aquilia etiam rei æstimationem. Quare si prius lege aquilia actum est, non erit amplius locus actioni pro socio. Sed si actio pro socio prius fuisset intentata, adhuc fore locum actioni ex lege Aquilia, quamvis hoc glossa videatur negare dum dicit: *ideo postea non intenditur.* colligitur tamen ex lege 34. §. fin. ff. de obl. & act. ubi comparatur cum actione commodati. [Et hoc in legis aquilia actione dicitur, si tibi commodavero vestimenta, & tu carperis: si tibi commodavero actiones rei persecutionem continent: & quidem post legis aquilia actionem utique commodati finietur. post commodati aquilia remaneat in eo, quod in repetitione triginta dierum amplius est, dubitatur; sed verius est remanere,

quia

§ II.

Secundus Modus dissolvendi per Renuntiationem.

641. Hunc modum dissolvendi ponit Imperator statim sequentibus verbis. [At cum aliquis renuntiaverit Societati, solvitur societas, quod tamen intelligendum est, quando societas non fuit inita cum definitione certi temporis.] Vnde

QUÆRITUR 1. An si socius ante tempus præfixum elapsus aliis non consentientibus renuntiet, ita non valeat renunciatio, ut renuntiant nihil obstat. *Re.* In tali casu renunciatio eatenus nocet renuntianti, quatenus solum damnum, non item lucrum illi commune manet ut habetur l. 65. §. 6. ff. h. t. paulò post referendo, & constabit à fortiori ex dicendis de eo, qui renuntiat aliis absentibus in casu nullius temporis definit, & quando quisvis renunciare potest.

QUÆRITUR 2. An nulla sit exceptio, quæ possit quis renunciare validè etiam, quando tempus est definitum. Respondetur, enumerari in Iure quatuor huiusmodi exceptiones, & eventus. Primus, si à reliquis sociis conditiones & pacta conventa non serventur. Secundus, si injuriam aut nocumentum à sociis patiat, quod prudentis arbitrio ferendum non sit. Tertius, si desinat esse spes obtinendi finem, principaliter per contractum societatis intentum. Quartus, si ad renuntiandum inducatur in vitus, propter absentiam Reipublicæ causâ subeundam, neque commodè possit aliis sociis aut alteri tertio curam committere. Habentur hæc seqq. Iuribus. l. 14. 15. & 16. ff. h. t. l. 14. [Si convenit inter socios, ne intra certum tempus communis res dividatur, non videtur convenisse, ne à societate abeat: qui tamen si hoc convenit, ne abeat? ut eleganter Pomponius scripsit, frustra hoc convenit, nam & si non convenit, si tamen intemptivè renuntietur societati, esse pro socio actionem. Sed NB. etiam convenit, ne intra certum tempus societate abeat: & ante tempus renuntiat, potest rationem habere renunciatio: nec tenebitur pro socio, qui ideo renuntiat, quia conditio quedam, quæ societas erat coita, et non præstat: aut quid sit ita injuriosus & damnosus socius sit, ut non expediat eum pati? l. 15. Vel quod eâ re frui non liceat, cuius grati negotiorum suscepta sit: l. 16. idemque erit dicendum, si socius renuntiaverit societati, qui reipublicæ causâ diu & in vitus sit absenturus: quamvis nonnunquam ei obijci possit, quia potuit & per alium societatem administrare, vel socio committere, sed hoc non aliis, nisi validè sit idoneus socius, aut facilis absenturo etiam

Cc 3

per

quæ simplò accedit, & simplò subduco locum habet.] ubi nota, legi in pluribus exemplaribus non habet. Sed per errorem irrepsit part. non. ut ex contextu nimis manifestum est, & notarunt Cujacius, Hotomannus, Robertus, Mercator, & glossa Gotofredi.

CONTROVERSIA XIV.

Quibus Modis Societas Dissolvatur.

§ I.

Primus Modus dissolvendi mutuo consensu expresso vel tacito.

SUMMARIUM.

Potest societas dissolvi etiam tacito consensu. 641.

Renunciatio aliis non consentientibus facta, an renuntiant obstat. 642.

An sit aliqua exceptio, quæ possit renunciari, quando tempus est definitum. eod.

Quæ conditiones observandæ sint renuntianti. 643.

An uno defuncto dissolvatur societas etiam quoad reliquos. 645.

An ad hæredes transeat actio, etiam si non fiat socius. eod.

An duret societas moriente socio, ignavis reliquis negotiorum persequentibus. 646.

Quomodo per mortem finiatur societas circa culturam v. g. vineæ. 647.

An etiam dissolvatur morte civili. 648.

An rei interitu non solum naturali, sed etiam civili. 649.

641. Habetur §. 4. Inst. h. t. [manet autem Societas eorum; donec in eodem sensu perseveraverint. l. 5. C. h. t. Tam diu Societas durat, quam diu consensu partium integer perseverat.] Non est autem necesse, hunc mutuum consensum esse expressum, potest enim tacite fieri, & ipso facto exterius manifestari, sicut supra diximus posse societatem huiusmodi tacito consensu contrahi, & habetur lege 64. ff. h. t. [Itaque cum separatim socii agere ceperint, & unusquisque etiam sibi negotietur, sine dubio jus Societatis dissolvitur.]

Ad hunc dissolvendi modum, ut à sequente, qui fit per renunciatioem, distinguatur, necesse est, fuisse inita societatem cum definitione temporis certi, intra quod non liceat cuivis recedere, bene tamen utriusque consensu, juxta vulgaria, quod per quas causas quid nascitur, per easdem dissolvatur.

per aliam societatis administratio.] Et l. 65. §. 6. [Item qui societatem in tempus coit, eam ante tempus renuntiando sociam à se, non se à socio liberat. Itaque si quid compendii postea factum erit, ejus partem non fert: at si dispendium, æque prælabit portionem, nisi NB. renuntiatio ex necessitate quadam facta sit.]

643. **QUÆRITUR.** 3. Quæ conditiones observandæ sūt renuntianti. 2. Prima conditio est, ut renuntiationem insinuet omnibus sociis: ante quorum noticiam si renuntiaverit, renuntiatio non solum illi non prodest, verum etiam obest, eo modo quo habetur in l. 17. §. 1. ff. h. r. [Si absenti renuntiata Societas sit, quoad is scierit, quod is acquisivit, qui renuntiavit, in commune redigi: detrimentum autem solius ejus esse, qui renuntiaverit: Sed quod absens acquisivit, ad solum eum pertinere, detrimentum ab eo factum commune esse.] Ratio secundum P. Molinam est, quoniam integritas est absentis, quando renuntiationem agnoverit ratam illam habere, ut ipse particeps non sit damni: aut si nullum sit damnum, vel damnum à lucro excedatur, ratam eam non habere, ut usque ad illud tempus particeps lucrum cum eo, qui societati renuntiavit, hanc rationem dicit Molina esse Bartoli, in quo tamen eam non invenio, & videtur esse petitio principii: Aliam rationem lego in Bartolo, quam refert & approbat Baldus, nempe quare socius absens non debeat communicare lucrum factum cum renuntiante. Rationem, inquam, dant hanc, quia absens gerit negotia non societatis, sed societas jam est finita quoad renuntiantem, & ideo lucrum factum per absentem non debet communicari: sed si absens hoc sciret, & negotium nomine communi gereret, licet illud lucrum per actionem pro socio non teneretur communicare, quia societas est finita, teneretur tamen communicare per actionem negotiorum gestorum, eo quia renuntiavit ratam habenti. ita Baldus.

Secunda conditio est, ut renuntiatio fiat tempore, non solum hoc sensu (ut multi exponunt) ne fiat ante tempus elapsum (loquuntur enim de casu quo nullum tempus est præfixum) sed etiam ita, ut renuntiatio non sit in damnum societatis quoad negotia jam inchoata: unde negotia cæpta tenetur absolvere, & expectare donec ab aliis absolvantur: item si merces cœmpa, v. g. triticum, non possunt nunc cum lucro divendi, expectandum est, donec tempus opportunum veniat. Et ita intelligendus est textus in l. 17. §. 2. ff. h. r. [In societate autem cœundā nihil atinet de renuntiatione cavere eundem, quia ipso jure societatis impetitiva renuntiatio in estimationem venit.]

644. Tertia conditio est, ut sine dolo fiat renuntiatio. §. 5. *Inst. h. r.* [Sed planè si quis callidè in hoc renuntiaverit Societati, ut obve-

niens aliquod lucrum solus habeat, veluti si totam bonorum sociis equali quo hæres esset reliktus, in hoc renuntiaverit Societati, ut hereditatem solus lucrificeret, cogitur hoc lucrum communicare.] Aliud exemplum dolosæ renuntiationis habetur lege 65. §. 4. [Item si Societatem incamus ad aliquam rem emendam, deinde solus volueris eam emere, ideoque renuntiaveris Societati, ut solus emeres, teneberis, quanti interest meæ. Sed si ideo renuntiaveris, quia emptio tibi displicebat, non teneberis, quamvis ego emero, quia hic nulla fraus est.] In his ergo casibus renuntiatio hoc operaretur, ut si v. g. ex hereditate dantium eveniret, ad renuntiantem solum spectaret, si emolumentum, id esset commune.

§. III.

Tertius modus finiendi Societatem per mortem naturalem.

645. Si vel unus sociorum moriatur, per se & regulariter loquendo finitur Societas, non solum quoad defunctum (ad cujus hæres non transit, ut pono, & postea tractabitur) sed etiam quoad reliquos socios inter se, nisi ab initio ita conventum fuisset, ut uno vel pluribus defunctis adhuc inter cæteros duraret Societas, perinde ac si de novo contracta esset. §. 5. l. h. r. [Solvitur adhuc Societas etiam morte socii, quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit: sed & si consensu plurium Societas contracta sit, morte unius socii solvitur, etsi plures superint, nisi in cœundā societate aliter convenierit.] iisdem verbis l. 65. §. 9. ff. h. r.

Quamvis autem hæres defuncti non fiat socius, nec reliqui inter se maneat socii, quia tamen omnia jura & actiones tam activæ quam passivæ transeunt ad hæres, ideo hæres cæteros sociis, & socii hæredi tenentur, omnibus modis quibus illi defunctus & illi defuncto tenerentur, si superviveret, & societas alio modo dissoluta esset. Hinc culpam à defuncto commissam præstare, negotia non amplius integra absolvere, restituere quæ habet de societate, reddere rationem de gestis à defuncto: & e contra similiter illi qui socii erant tenentur. Non tamen tenentur societatem renovare, nec negotia negotum cæpta perficere, ut habetur l. 21. §. ff. de negotiis gestis. [Si vivo Titio negotia ejus administrare cepi, intermittere mortuo eo non debeo: nova tamen inchoata necesse mihi non est, vetera explicare, ac conservare necessarium est: ut accedit, NB. cum alter ex Sociis mortuus est: nam quæcunque prioris negotii explicanda causa geruntur, nihilum refert, quo tempore consummentur, sed quo tempore inchoarentur.] De culpa

culpa præstanda habetur lege 35. & seq. ff. h. r. ibi. [In heredem autem socii proponitur actio, ut bonam fidem præstet: & acti etiam culpam, quam is præstare, in cuius locum successit, licet socius non sit.] Quoad negotia cæpta habetur l. 40. eod. [Hæres socii, quamvis socii, quamvis socius non est, tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per heredem explicari debent; in quibus dolus ejus admitti potest.] Quod obligatio sit reciproca, exprimitur l. 65. §. 9. ff. h. r. ibi. [Sed quod ex re communi postea questum est, item dolus & culpa in eo quod ex ante gesto pendet, tam ab hærede, quam hæredi præstandum est.]

646. Quæritur: Si res quoad aliquod negotium est integra, quando socius moritur, sed mors à reliquis sociis negotium perficientibus ignoratur, an perdat Societas. 2. De hoc exstat textus notabilis in lege 65. §. 10. ff. h. r. [Item si alicujus rei Societas sit, & finis negotio impositus, finitur Societas: quod si integris omnibus manentibus alter decederit: deinde tunc sequatur res de qua Societatem cœgerunt, tunc eadem distinctione utemur, quâ in mandato, ut si quidem ignora fuerit mors alterius, valeat Societas, si nota, non valeat.] quem textum ita interpretatur P. Molina. Si mortuo uno ex sociis, per aliquem aliorum sociorum aliquid captum est, ignorando mortem consocii, tunc quoad illud non esse intelligendam dissolutam societatem, sed continuandam esse quoad id per heredem, quousque finiat: secus autem si cognita morte consocii fuit captum. Sicur etiam quamvis mandatum morte mandantis expiret, si tamen à mandatario ignorante mandantis mortem sit aliquid actum, valet, ut seq. cap. dicitur.

647. Quæri hic posset, quomodo per mortem finiat Societas in ita circa culturam alicujus vineæ, agri, &c. & quidem ad plures annos, ita tamen ut non habeat naturam emphyteutis, nec locationis. 2. Si res est adhuc integra, finitur statim unius morte. Sin verò jam cultura cæpta notabiliter est, tunc pro illo anno transibit ad hæres, argumento deducto ex lege 13. §. 11. ff. Locati. supra adducta, ex qua colligitur, quod quando ex tacito consensu continuatus est contractus, censetur continuatus pro anno integro.

§. IV.

Reliqui modi solvendi Societatem, scilicet morte civili, bonorum confiscatione, cessione, egestate, rei interitu, consecratione, negotii absolutio.

648. Sicut morte naturali, ita etiam morte civili, maximè & mediâ capitis diminutione solvitur Societas. Ita habet summarium in corpore glossato in §. Mortis. l. 65. & lege 63. §. pen. ff. h. r. ibi. *interitum autem homines quidem ma-*

ximè & mediâ capitis diminutione. & tradit Mynfinger in §. 5. *Inst. hoc titulo.* colligiturque ex dictis de usufructu quomodo morte civili finiat, & ratio est, quia quoad commercia cum aliis censetur esse mortuus: neque intentio sociorum id ipsa societatis celebratione ad talem casum se extendit, nec rationabiliter extendere potuit, quoad quidem finis societatis redditur moraliter impossibilis.

De bonorum confiscatione & publicatione legibus expressum habetur. §. 7. l. h. r. [Publicatione quoque distrabi societatem manifestum est, scilicet si universa bona socii publicentur, nam cum in ejus locum alius (*Nempe Fiscus*) succedat, pro mortuo habetur.] & lege 65. cit. §. 12. iisdem verbis habetur.

Objici tamen posset, quia deporratus etsi pariatur mediâ capitis diminutionem, potest tamen societatem contrahere cum illis, qui ejus conditionem sciunt: neque enim prohibentur celebrare contractus juris gentium; qualis etiam est contractus societatis: ergo poterit etiam in societate permanere: si capitis diminutio societati jam contracta superveniat, facilius enim res conservatur, quam primò pro ducitur.

Ob hanc objectionem existimo, sententiam asserentem, & jura asserentia; quod Societas dissolvatur mediâ capitis diminutione, fundari in præsumptione, quod nempe intentio contrahentium non fuerit extensa ad talem casum, sicut censetur non extendi, si ab ignorante conditionem celebraverit Societas. Unde si prævisè foret periculo expressè extenderetur Societas etiam ad talem eventum, non dubio pactum valiturum.

649. Huc etiam pertinet dissolutio societatis per interitum rei in qua constituta est Societas, & sive interitus sit naturalis sive civilis; nempe si ului publico, vel sacro defuerit. Item si negotium fuerit finitum in quo est contracta Societas. Item cessione bonorum: imò & egestate. Ita habetur seqq. juris l. 65. §. 10. ff. h. r. [Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideoque si ve homines; si ve res; si ve voluntas; si ve actio interierit, distrabi videtur Societas. Res verò cum & nullæ relinquuntur, aut conditionem mutaverint: neque enim ejus rei que jam nulla sit; quæ quant socius est: neque ejus que consecrata, publicata sit.] Et §. 6. l. h. r. [Item; si alicujus rei contractu Societas sit, & finis negotio impositus est, finitur Societas. Et l. 65. §. 10. Item si alicujus rei Societas sit; & finis negotio impositus.] & §. 8. *Inst. h. r.* [Item si quis ex sociis mole debiti prægravatus bonis suis cesserit, & ideo propter publica aut privata debita substantia ejus veniat, solvitur Societas. Sed hoc casu si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere Societas.] & hoc, nisi fallor, etiam de mediâ

media capitis deminutione dici posset. De egestate habetur l. 4. §. 1. ff. h. t. ex quo inferunt DD. quod etiam dissolveretur deoctione tantum, ob quam iudex posset arbitrari, esse dissolvendam societatem.

CONTROVERSIA XV.

An Societas aliquando transeat ad Heredes.

SUMMARIUM.

AN pacto constitui possit, ut societas ad heredes transeat. 650.

An huiusmodi pactum posset iuramento firmari. 651.

An heres possit tacito consensu novam societatem contrahere. 652.

Quid si societas est circa vestigalia, an pactum sustinetur; ut transeat ad heredes. 653.

An socius possit obligare heredem ad continuandam societatem. 654.

Quod regulariter loquendo societas ad heredes non transeat, nec in illis continetur vi præcedentis contractus, habetur pluribus iuris jam supra adductis, & hoc sibi vult etiam lex 70. dicens; *Nulla Societas in æternum coitio est.*

650. Dubium est, an saltem pacto posset constitui, ut ad heredes transiret. Ratio dubitandi est, quia, ut supra vidimus, potest pactum fieri, ut post mortem unius socii ceteri socii maneat, cur non ergo pariter conveniri posset, ut hæres socii defuncti socius fieret?

DICENDUM tamen est 1. Cum communi Interpretum, & respondendum negativè. Ità habetur l. 35. ff. h. t. [Nemo potest societatem heredi suo sic parere, ut ipse hæres socius sit. & magis dicitur l. 59. pr. eod. Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut hæres etiam succedat societati.] Et sanè hoc rationi est consentaneum. Nam in contrahenda societate maximè est attendenda industria personæ, & indoles: atqui futuri hæres industria & indoles communiter non est perspecta, cum ne quidem de persona hæres constat. Et hinc patet, quid ad rationem dubitandi respondendum sit; nam ceteri socii jam semel sunt electi: ergo non est paritas.

Neque rationi adductæ facis occurreretur, si socius nominaret heredem personam perspectam & notam: sic enim sibi adimeret libertatem mutandi heredem, quod etiam inconveniens est.

651. Dissentiunt tamen valdè interpretes & ICI, utrum huiusmodi pactum à iure reproba-

tum posset iuramento firmari. multi affirmant, plures negant, quos refert & sequitur VVurmserus, ex eo fundamento, quod communio discordiis parere solet. præsertim si quis vel in vitis in communione vel societate succedere, vel ab invitis in eam recipi deberet, quas præcaveri & tolli Republicæ interesse videtur. Iuramentum autem non obligat in præiudicium Republicæ. Hæc tamen ratio mihi infirma videtur, nec enim heres penitus invitus efficitur socius, quia potest ab hereditate abstinere: neque socii penitus in vitis eum admitterent, quia ab initio liberè consenserunt. Itaque hæc quæstio pendet ex illis, quæ dicta sunt tractatu octavo de Contractibus in genere, an & quando iuramento firmantur.

Breviter censeo tali iuramento contractum firmari, prout etiam sentit Pater Molina n. 6. & ex iuristis novissimè tenet VVidman n. 38.

Ad fundamentum adversariorum respondetur, negando, quod iuramentum det animum delinquendi: nam utique socii possunt amicè in societate vivere: quod autem discordia nascantur, non provenit ex iuramento, cum etiam absque iuramento nascantur. Incertitudo futuri hæres non probat quod tale pactum sit illicitum ex natura rei: ergo nec probat, quod iuramento firmari non possit. Antecedens probat, alioquin nec societas vestigialium posset ad heredem transire, cuius oppositum est in iure cautum, ut dicitur. Deinde contra socium inutilem dantur socii remedia, de quibus supra actum est.

652. DICENDUM 2. Si hæres defuncti conveniat cum aliis sociis, ut continuetur societas, tunc censetur de novo inita societas, & hoc vult lex 37. ff. h. t. [Planè si hi, qui sociis hæres existerint, animum injerint societatis, in ea hereditate novo consensu, quod postea gesserit, efficitur ut in pro socio actionem deducatur.] Sufficeret autem consensus tacitus supra explicatus, ubi ex iure probatum est, posse tacito consensu societatem initi. Ulterius arbitror sufficere etiam consensum conditionatum antecedentem ipsam mortem socii cuius est hæres, si quis cum sociis conveniret, ut casu quo esset hæres socii defuncti, veller cum illis societatem continuare. Quod si socii in tale pactum conditionatum consentirent, veniente conditione (quam tenerentur expectare) absque alio novo consensu convaleret societas, ut constat ex illis quæ de contractibus sub conditione initis dixi tract. octavo, & colligitur ex l. 4. ff. de condit. Infi. pauld post referenda.

653. DICENDUM 3. Quando societas est constituta circa vestigalia, aut alias res publicas conductas, tunc adjectum tale pactum ut ad heredes transeat, ob favorem Republicæ sustinetur, ità ut quidquid commodi vel damni

post mortem socii venerit, heredi sit commune, si tamen hæres sit persona idonea. Ità habetur l. 59. ff. h. t. ibi. [In societate vestigialium nihilominus manet societas & post mortem alicujus: sed ità demum, si pars defuncti ad personam hæres ejus adscripta sit, ut heredi quoque oporteat conferri: quod ipsam ex causa æstimandam est: quid enim si is mortuus sit, propter quem operam maximè societas coita sit, aut sine quo societas administrari non possit?] Voluerunt itaque Iura, ob bonum publicum, ejusmodi societates postquam semel contracte sunt cum pacto, ut ad heredes transirent, in heredibus contineri, quia expedit bono publico, vestigalia manere conducta. Aliam rationem assignat Gratianus, & ex eo VVurmserus, quod tales societates, postquam sunt contracte, sint nec essentia, & non pendent à libera voluntate, ideoque ad heredes transeant. Verum, hæc ratio non est ratio. Quæro enim, unde proveniat necessitas ista? vel à pacto, vel à lege? si dicant, à pacto? cur ergo non etiam ex tali pacto redduntur necessariæ societates privaræ? nunquid lex utrobique poterat pactum irritum reddere? ratio ergo ulterior desideratur, cur in societatibus privatis, & non etiam in publicis irritaverit? an ex lege? atqui sic essent hæc societates perpetuæ, cuiam nullo pacto adjecto, quod falsum est.

64. DICENDUM 4. Quamvis, ut dictum est, non possit socius, heredem suum

ità facere socium, ut reliqui socii teneantur illum admittere in societatem, potest tamen heredem obligare, ut, si socii velint cum ipso societatem continuare, teneantur consentire. Ità colligo ex lege 4. pr. ff. de condit. Infi. [Si qui ità sint instituit: Si socii unà bonorum meorum permanerint, usque ad annos sedecim, heredes sunt: inutilem esse institutionem, secundum verborum significationem Marcellus ait: Iulianus autem, quoniam & ante habitam hereditatem iniri societas potest, quasi rei futura valere institutionem, quod est verum.] Itaque ad certum tempus possunt heredes obligari ad societatem etiam inter se constituendam, sed non in perpetuum. l. 14. §. 2. ff. comm. divid. [Si conveniat, ne omnino diviso fiat, huiusmodi pactum nullas vires habere manifestissimum est. Sin autem intra certum tempus, quod etiam ipsius rei qualitati prodest, valet.]

Gratianus & VVurmserus existimant, quod si ab initio societati accedat contractus locationis, tunc etiam societas ad heredes transeat, eò quod locatio transeat. ut suo loco dictum & probatum est ex lege 10. ff. C. de locato. Hoc tamen ad summum verum esse existimo, si locatio non possit à societate separari, quod tamen raro continget.

